Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2411

Quelle:
Copyright:

fio: *Omnipotens deus qui ſine initio* &c. Finis Reſp. ult. *ſicut etiam homines ſigna firmamenti inſpiciunt.*

III. *fol.* 116. Fragmenta quaedam *Libri Epiſtolarum Hildegardis. Prima* integra Epiſtola inſcribitur: *Ad clericos ſacerdotalis officii bildigardis*, et incipit: *Uox uiuentium alarum dicit. O qui eſtis ſuſtentatio lapidum et cingulum membrorum diuerſorum hominum.* Haec non habetur in Editis, nec, ut putem, in Collectione *Cod.* praecedentt. indicata. *Altera* eſt ad *Bernardum Claraevall.* hoc initio: *O uenerabilis pater. B. qui mirabiliter in magnis honoribus* &c. et extat in Edit. p. 70. *Tertia* inſcripta: *Hildigardis ad congregationem puellarum ſuarum*, incipit: *Dominus dicit filiabus ſuis. In antiquo tempore ſpiritus ſanctus* &c. Inedita, ut videtur. *Quarta: Guntero ſpirenſi epiſcopo Hildigardis.* Initium: *Lux ſummę inſpirationis* &c. In Edit. p. 41.

DCXXXI.

439 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 37. 4. currente calamo ſcriptus et rubricis enotatus hoc titulo gaudet: *Incipit prophetia beate Hildegardis.* Initium facit Epiſtola *Gebenonis* Prioris in *Eberbach*, qui hic *Genenus* ſcribitur, ad *Remundum ſcolaſticum* et *Reinherum Canonicos S. Stephani in Maguntia* jam *Codd.* praecedd. indicata, cum *Prologo*, et *Admonitione* prout *Cod.* DCXXVIII. His ſuccedit Epiſtola *Philippi* Decani et Cleri *Colon.* ad *Hildegardem* cum hujus *Reſponſo*, et alia *Gebenonis* Epiſtola ad *Filias S. Hildegardis*, de quibus jam *Cod.* DCXV. actum eſt. Tunc demum varia ſequuntur e *Revelationibus Hildegardis* Excerpta, quae incipiunt a L. III. *Viſione* 11. quae in Edit. *Colon.* 1628. legitur p. 152. f. *Vidi ad aquilonem et ecce ibi quinque Beſtie ſtabant* &c. Ad calcem adtextae ſunt *Prophetiae* II. Prima de *Mendicantibus* a *Bzovio* ad an. 1415. producta, ſed a *Bollandianis* inter genuina *Hildegardis* Volumina in Coenobio *Bingenſi* non reperta, ut ipſi T. I. *Martii* p. 667. teſtantur. Repraeſentavit eam tamen *Fabricius* L. VIII. *Bibl. med. Lat.* ſed a noſtro Exemplo ſatis abludentem. Ita, quae adſcribam, mox ſub principium neſciit ille. *Fortes et ſani a laboribus ceſſabunt et uacabunt otio aſſumentes potius ordinem mendicandi. Studebunt omnes nimium qualiter doctoribus veritatis peruerſe reſiſtant* &c. Ad calcem legitur: *Et floruit beata Hildegardis cuius eſt hec prophetia et ſequens ante inceptionem ordinum mendicancium per LII. annos. Nam ipſa floruit Sub anno domini M. C. XLVI. Ordo vero mendicantium anno domini M. C. XCVIII. ſicut in Martiniana habetur cronica.* Non plane ita; *Hildegardis* enim a. 1178. obiit. Altera porro *Prophetia* inſcripta eſt: *De ablatione temporalium a Clero*, et incipit:

Quam